

fares sibi adscivissent: Constantius conscripto exercitu omnium opinione citius Bononiam in Gallia (quæ & Gefforiacum dicta) quam firmo præficio munierat Carausius, advolat, obsidione incingit; defixis in aditu trabibus ingestisque faxis mare excludendo portum adimit quasi vallo, quod impetus Oceani sua mole multis diebus insurgens non convulsit, verum deditione facta, primus qui insiluit æstus ita irrupti, ut prorsus fuerit solutum, & abruptum. Dumque ad Britanniam recuperandam classem hic & alibi apparat, Bataviam à Franci occupatam omni hoste purgavit, eorumque plurimos ad desertos agros colendos in Romanas transtulit nationes.

Eumenii  
Panegyri-  
cus.

C. Allectus  
Imp.

Interea temporis Carausium familiaris ejus Allectus qui sub eo summæ rei præfuit, dolo intermit & purpuram ipse induit. Quo auditio, Constantius armatis diversis classibus Allectum ita incertum, consiliique inopem reddidit, ut tunc demum senserit quod non munitus esset Oceano, sed inclusus. Velaque faciens cœlo & mari turbidis, per nebulam quæ mari incubuit, hostilem classem in speculis atque insidiis ad insulam Vectam collocatam ignorantibus omnino hostibus præteriit, & statim atque Britannia litus attigit exercitus, universis navibus injecit ignes, ut nullum fugæ superesset præsidium. Allectus autem ut vela Constantii imminentia conspexit, à littore quo tenebat abscessit, fugiensque incidit in Alclepidotum Præfectum Prætorio, adeoque trepidus & in modum amentis properavit ad mortem, ut nec aciem explicarit, nec turmas quas trahebat, instruxerit, sed cum barbaris mercenariis irruerit, purpura ne agnoscetur abjecta, ceciditque tumultuaria pugna, vix unius indicio repertus inter cadavera barbarorum quæ passim campos & colles intexerunt. Franci vero & alii barbari qui prælio superfuerunt, Londinum diripere, & fugam capescere cogitaverunt, cum ex improviso milites Constantii qui nebuloso cœlo ab juncti fuerunt, commodum Londinum pervenerunt, eosque passim tota urbe confecerunt, & non solum civibus in cæde hostium dederunt salutem, sed etiam in spectaculo voluptatem. Hac victoria postquam provincia septem plus minus annos sub Carausio, & tres sub Alecto occupata fuisset, recuperata est. Vnde Eumenius ad Constantium. Ovatoria, multijuga & multiplicium triumphorum, qua Britannia restituta, qua gentes Francorum penitus excise, qua multis præterea gentibus in conjuratione illius sceleris reprehensis imposta est necessitas obsequendi. Denique ad perpetuam quietem maria sunt purgata. Gloriare vero tu Cæsar invicte alium te orbem terrarum reperisse, & Romana potentia gloriam restituendo navalem, addisse imperio terris omnibus majus elementum. Et paulo post ad eundem. Ita Britannia recuperata est, ut illæ quoque nationes terminis ejusdem insulae coherentes vestris nutibus obsequantur.

Persecutio  
in Britan-  
nia.

S. Alba-  
nus.

Postremis Dioclesiani & Maximiani annis cum Orientalis ecclesia Martyrum sanguine jam plures annos cruentata fuisset, huc etiam in Occidentem furentis illius persecutionis impetus pervasit, multique qui Christo nomina dederant, martyrio sunt affecti: inter quos præcipui Albanus Verolamienfis, Iulius, & Aaron ex Ifca urbe Britannia.

Legionum, &c. De quibus suo loco. Tunc enim, triumpho longe maximo & felicissimo, vicit ecclesia, cum decem annorum stragibus vinci non poterat.

Cum Dioclesianus & Maximianus se imperio abdicarent, Constantium illum Chlorum qui ha-

Constantius  
Chlorus  
Imp.

ctenus Cæsaris titulo Rempub: administraverat, Augustum designarunt, illique obtigerunt Italia, Africa, Hispania, Gallia, & Britannia: verum Italia & Africa Galerio cessit, cæteris contentus.

Hic cum sub Aureliano in Britannia stipendia fa-

ciceret, Helenam Cœli vel Cœli Britannici Reguli

filiam in uxorem duxit, ex qua Constantium il-

lum Maximum in Britannia genuit. Ita enim

Baronius in  
Hib. Ec-  
cles.

omnium scriptorum testatur sententia, præter

unum & alterum nuperum Graculum inter se

dissidentes, & virum longe eruditissimum ex de-

pravato I. Firmici loco. A Maximiano tamen il-

lam repudiare coactus est ut Theodoram ejus fi-

liam acciperet. Hæc illa Helena est quæ in anti-

quis Inscriptionibus VENERABILIS, & PISSI-

MA AVGVSTA dicta, & ob Christianam pietatem, Hierosolymam idolis purgatam, Basilicam in loco Dominicæ passionis extructam, & saluta-

rem Christi crucem inventam tantopere ab ec-

clesiasticis scriptoribus celebrata. Quam tamen

Iudæi & Gentiles stabulariam ignominiose ap-

pellarunt, quod pientissima princeps præsepe in

quo Christus natus quæsivit, & ubi stabulum fuit,

Ecclesiam fundavit. Hinc Sanctus Ambrosius:

Stabulariam hanc primo fuisse afferunt, &c. Bona sta-

bularia Helena Hierosolymam festinavit & scrutata est De obitu  
Theodosii

locum Dominica passionis, tamque diligenter præsepe Do-

mini requiriit. Bona stabularia, quæ stabularium non

ignoravit illum, qui vulnera curavit hominis à latroni-

bus vulnerati. Bona stabularia quæ maluit existimari

stercoraria, ut Christum lucifaceret. Nec minori sane lau-

de maritus ejus Constantius ob pietatem, & moderatio-

nem effertur. Vir, qui repudiata penitus impiorum in va-

riis diis colendis superstitione, Deum unum omnium re-

rum moderatorem ultro agnovit. Vnde ut Aulicorum

fuorum in Deum fidem experiretur optionem illis dedit liberam, vel ut diis sacrificantes apud

se manerent, vel recusantes abirent: Verum qui

abire potius quam fidem in Deum deserere ma-

luerunt, apud se retinuit, abjectis aliis quos sibi

futuros infidos putavit, qui fidem in verum

Deum abjecerant. Obiit hic optimus Imperator

suprema in Britannia contra Caledonios, alias

que Pictos expeditione, Eboraci, filio Constanti-

no Imperatore successore & Cæsare designato.

Paucis ante Constantii mortem diebus Con-

stantinus ejus filius per dispositos equos Roma

Eboracum advolavit: cæteros quos alebat Ref-

publica toto itinere ne quis persequeretur, mu-

tilavit: ibique patris spiritum exceptit. Vnde ad

eum antiquus Orator. Sacrum istud Palatum non

candidatus imperii sed designatus intrasti: confessimque

te illi paterni Lares successorē videre legitimū. Neque

enim erat dubium quin ei competeret hereditas quem

primum Imperatori filium Fata tribuissent. Nihil-omi-

nus à militibus quasi coactus sed præcipue Ero-

ci Alamanorum regis opera, qui illum auxilii

gratia comitabatur, in Imperatorem evectus est.

Purpuram milites, utilitati publicæ, potius quam affecti-

bus servientes, illi injecerunt lachrimanti, equumque cal-

M. dictus.

Vide Sui-  
dam quare  
dictus

Pauper.

Constan-  
tius Maxi-  
mus Imp.